

& ceteris illicitis postpositis, Deumque solum habentes præ oculis, & in mente juxta doctrinam salubrem a jure traditam in cap. cum & in Extr. de Jurejur. lib. 6. in his scriptis pro tribunali sedentes in domo habitationis nostræ posita in Montecalvo ad solitum banchum juris dicimus, sententiamus, pronunciamus dictas sententias, & earum quamlibet iniquas fore totaliter, & injustas, & per dictum Pastorum male, & inique fuisse pronunciatum, & condemnatum habito respectu ad excessivum modum condemnationum prædictarum per ipsum latorum, ac etiam modum applicationis in dictis condemnationibus, & per consequens per dictos Petrum Albertinum, & Canturum fuisse, & esse bene, & legitime appellatum a condemnationibus supradictis vigentibus pactis, conventionibus, & capitulis supradictis, quæ quidem pacta fuerunt de jure positivo attendenda, ac etiam observanda, cum nihil sit tam congruum humanæ fidei, quam ea, quæ inter contrahentes placuerunt inter eos servari ut L. Ex empto ff. de act. emp. L. 1. ff. de pactis, & §. Prætor ait in L. juris gentium Cod. tit. it. L. Pacta Cod. de Pact. cum infrascriptis ibi: & quia grave esset fidem fallere, ut L. 1. in princ. ff. de Const. pec.; ac etiam restitudo in principe præcipue sit habenda, ut in epistola inter claras Cod. de Trin. & fid. summa Cathol. Hinc capitula dictæ civitatis, & eorum tenor fuerunt debite attendenda ut in L. Omnes populi. ff. de just. & jur., & in §. Omnes Institution. de jur. nat. gent., & civ. cum aliis ibi jam ex forma, & tenore pactorum superius jam dictorum solummodo commune Aquis transtulit in præfatum illustrem Dominum Marchionem banna homicidii, robariæ, incendii, furti, proditoris, falsi commissi, perjuriorum, & ferutarum; aliaque banna omnia ipsum commune in se retinuit, ut ex forma dictorum pactorum evidenter apparet, & prædicta delicta, quæ objecta fuerunt prædictis Petro Albertino, & Canturro non sunt de bannis translatis in præfatum illustrem Dominum Marchionem bene sequitur, necessario præfatum tum locumtenentem inique pronunciasse. Nam cum ipsi illustri Principi fuerint concessa solummodo banna superius specificata; ergo alia eidem fuerunt denegata: ut L. Cum Prætor. ff. de Iudic. facit Lex Maritus Cod. de Procur. cum aliis ibi lata, data, & sententialiter promulgata fuit dicta sententia per suprascriptum D. Vicarium, & Commissarium pro tribunali sedentem ut supra in his scriptis, & lecta per me Borgexium de Castello de tribus terris notarium publicum, & scribam dicti D. Vicarii, & Commissarii de anno Domini MCCCLXXXVI., indict. IX., die XXVIII. mensis martii præsentibus dictis Petro Azeto, & Albertino Bulla suo & nomine quo supra, & absente dicto Pastore, ac etiam absentibus Thomazono, & Rogerino de Montilio Castellanis Aquis, legitime tamen, ut in actis apparet citatis, & præsentibus Martino Musca, Manfredino Mazano, & Antonio de la Cava de Montecalvo, ac Joanne de Albrito, & Antonio de Grossis de Malamorte testibus ad infrascriptum vocatis specialiter, & rogatis, & de prædictis mandaverunt tum dictus Dominus Vicarius, & Commissarius, quam dicti Petrus,

& Albertinus fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Et ego Borgexius de Castello de tribus Cerris publicus imperiali auctoritate Notarius, & dicti D. Vicarii, & Commissarii scriba prædictis omnibus, & singulis interfui, rogatusque scripsi, ac signum meum consuetum apposui ecc.

*Locatio decimarum Degi facta sindicis.
ejus loci.*

MCCCLXXXVIII.

358

Reverendus in Christo Pater, & D. H. Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes, dedit, & locavit ad factum ad novem annos proximos Sichu, & filio quondam Petri Caramelli de Dego sindicis, & procuratoribus communis Degi decimam de Dego spectantem dicto Domino Episcopo, & pertinentem. Qui Sichus, & filius dicti quondam Petri Caramelli promiserunt eidem Domino Episcopo dare, solvere, & reddere totum illud, quod tenentur dare ipsi commune, & homines Degi, & soliti sunt omni anno, præcipientes fieri instrumentum per me Ughetum de Rolando. Actum in Bestagno anno Domini MCCCLXXXVIII., indictione XI., die ultima madii præsentibus Joannino Bellexio Legerio, & Joanne Placen de Bestagno testibus.

Ego Rolandinus de Rolandis de Bestagno Aquensis diocesis imperiali auctoritate Notarius hanc cartam prout eam abbreviatam inveni in libris dictorum præfati Domini tunc Episcopi Aquensis, & rogatum fieri per me Ughonem Patrem meum de dictis libris extraxi prout eam inveni nihil addito, vel diminuto quod variet sententiam ecc.

*Absolutio ab excommunicatione concessa cuidam
usurario defuncto a Vener. Henrico Ep. Aq.*

MCCCLXXXV.

359

Anno Domini MCCCLXXXV., indict. III., die XIX. mensis aprilis actum in Bestagno in domibus plebis, præsentibus venerandis viris presbitero Micoloso de Olivela de Janua, presbitero, & rectore Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Sexamo, & Antonio Fabra de Murzasco testibus vocatis, & rogatis, in quorum præsentia, & mei Notarii infrascripti. Henricus de Scampis Dei, & Apostolicæ sedis gratia Aquensis Episcopus, & Comes universis, & singulis personis literas præsentis inspecturis salutem in Domino. Ad æternam rei memoriam, & perpetuam rei fidem vobis volumus facere notum, quod cum mandavisset Presbitero Montano rectori Ecclesiarum de Uvada, ut sub excommunicationis poena corpus Jacobi cujusdam de dicto loco usurarii publici sine canonica cautione defuncti, quem contra sacros canones receperat ad Ecclesiasticam sepulturam, exhumare deberet, & extra sacrum ejicere: item cum Joanni, & Andreolæ filiis dicti Jacobi quondam dedissemus pariter in mandatis, quatenus infra certum terminum in nostris literis annotatum coram nobis legitime compareret, cautionem cum fidejussione idonea præstiturum de restituendo